

sollertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando. Seminis enim vim esse tantam, ut id, quamquam sit perexiguum, tamen si inciderit in concipientem comprehendentemque naturam, nactumque sit materiam, qua ali augerique possit, ita effingat et efficiat in suo quidque genere; partim ut tantummodo per stirpes alantur suas, partim ut moveri etiam et sentire et appetere possint, et ex sese sui similia gignere. Sunt autem, qui omnia naturae nomine appellent, ut Epicurus, qui ita dividit, omnium, quae sint, naturam esse corpora et inane, quaeque his accidunt. Sed nos quum dicimus, Natura constare mundum; non ita dicimus, ut glebam, aut fragmentum lapidis, aut aliquid ejusmodi, sola cohaerendi natura; sed ut arborem, ut animal, in quibus nulla temeritas, sed ordo apparet et artis quaedam similitudo.

Cap. XXXIII. Quod si ea, quae a terra stirpibus continentur, arte naturae vivunt, et vigent; profecto ipsa terra eadem vi continetur naturae: quippe quae gravidata seminibus, omnia pariat et fundat ex sese, stirpes amplexa alat et augeat, ipsaque alatur vicissim a superis externisque naturis. Ejusdemque expirationibus et aër alitur, et aether, et omnia supera. Ita, si terra natura tenetur et viget, eadem ratio in reliquo mundo est. Stirpes enim terrae inhaerent; animantes autem adspiratione aëris sustentur: ipseque aër nobiscum videt, nobiscum audit, nobiscum sonat. Nihil enim eorum sine eo fieri potest. Quin etiam movetur nobiscum. Quaecumque enim imus, quaecumque movemur, videtur quasi locum dare et cedere. Quaeque in medium locum mundi, qui est infimus, et quae a medio in superum, quaeque conversione rotunda circum medium feruntur, ea continentem mundi efficiunt unamque naturam. Et quum quatuor sint genera corporum, vicissitudine eorum mundi continuata natura est. Nam ex terra aqua; ex aqua oritur aër; ex aëre aether: deinde retrorsum vicissim